



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallelia Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

Praefatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147



PRÆFATIO.

AGGREDIOR opus plenum difficultatis, ac laboris, & cui se imparem M. ipse Tullius credidit. Cùm enim per epist. 4. libri 2. Attico pollicitus esset aliquid de Geographiâ, & ab eodem promissa reposcerentur, epistolâ 6. multa causatur, cur id non præstet: iterumque lacesitus septimâ, tempus ad deliberandum de hoc opere exigit; ac deinceps sic tergiuersatus est, ut consilia, magno rei literariæ danno, mors interceperit. Prætexebat autem orator difficultates duas, vnam ex materiâ, alteram ex elocutione petitam. Primùm enim videbat à sequentis æui Geographis veteres refutatos esse, & Eratosthenem, quem potissimum artis huius ducem sibi proposuerat à Serapione, & Hipparcho in multis increpitum esse; plurimos esse deprehensos in opere tanti hominis nœuos, quibus si pauciores speraret in suo, non satis rectè sentiret de homine, quem in hac scientiâ principem arbitrabatur. Volebat deinde homo eloquentissimus omnia eleganter scribere: at videbat hîc voces ὡμειδεῖς sæpe repetendas esse, ideoque αἰθεογεαφλῶτης Geographiam

A

P R A E F A T I O.

non posse, quod tamen optabat maximè, ne uno
hoc in opere ipse à se descuiisse videretur.

Quid ergo? audacior ego Cicerone? nihil mi-
nùs. Sed cùm in hac arte, multa subinde noua dete-
gantur, & hoc seculo plurima de variis regionibus
accuratè perscripta sint, impositum est hoc onus
mihi, iam inde ab annis aliquot, ut certissima quæ-
que ex omnium scriptis deligerem, corpùsque
Geographicum conficerem, in quo huius scientiæ
elementa purius, & ab errorum fôrdibus magis ex-
purgata perciperentur. Sapienter enim obseruauit
Geographorum princeps Ptolemæus cap. 2. lib. 1.
in hac arte potius acquiescendum esse τὰς νέατας τὰς
νεωτέρας καὶ διδοτέρας nouissimis traditionibus, & ataq;
etati nostra proximis, quam antiquis. Quoniam eius
notiones ἀφ' τῆς εἰκόνος per imaginem perceptæ sunt,
multis hominibus figuræ mente conceptas, in v-
num conferentibus. Quod cùm nonnisi multo
tempore fiat, & ab iis qui in id accuratiùs, & ma-
iori cum meditatione incubuerint: gaudemus istud
ab annis ferè quinquaginta diligentius præstitum
esse, quod tot retro antè seculis rudi tantùm deli-
neatione affectum erat. Huc accedit quod Geogra-
phia non intelligentiam modò, sed etiam oculos
ediscentis requirat. Atenim qui adhuc de hac arte
scripserunt, aut tabulas emiserunt tantùm, quibus
positiones locorum indicarent; aut vulgauerunt
scripta duntaxat, quibus lectorem erudirent suum.

P R A E F A T I O .

3

Et quamquam omnes ferè suis dissertationibus tabulas appinxerint, illas tamen proposuere ex aliis malè concinnatas, & interpolatas; nullas scriptis suis, & orationi respondentes. Ego verò sic dicam de Geographiâ, vt quod loquar oculis sistam; nihil in tabulâ notem, quod verbo in descriptione non attingam; nihil oratio contineat, quod oculo tabula non repræsentet.

Quòd si aliquot errores in hoc quoque opus irrepserint (desiperem enim profectò, si aliud expectarem) rogo lectores meos, quod alias Sebastianus Munsterus, ne grauentur eos indicare mihi, ab omnibus edoceri parato, vt omnibus prodesse queam. Absit enim vt viro religioso, atque Iesuitâ magis abiectè de se sentiat hæreticus ex superbiâ concretus, & fastu: sed planè demens, qui plus humanæ fidei concederit, quām diuinæ, paratus fuerit omnibus hominibus credere, Deo loquenti, & Ecclesiæ decucullatus apostata fideim derogârit.

Quod verò pertinet ad elocutionem quæ adeo Tullium ancipitem tenuit, eam aut parum, aut nihil curabo, & eleganter melocutum putabo, si me omnes intelligent; vtar omnium auditorum vocibus, & maximè eas arripiam, quæ rem significantius expriment.

Hæc autem erit methodi nostræ summa. In tria Corpora seu Tomos opus istud totum distribuetur. Primi Tomi pars vna, continebit Institutiones

A ij

4
P R A E F A T I O.

Geographicas, seu prænotiones huius artis. Altera partem Occidentalem Europæ enarrabit, hoc est insulas Britannicas, Hispaniam, & Galliam.

Secundi Corporis pars prima Borealem eiusdem Europæ partem percurret, videlicet Germaniam, Arcto regna, quo nomine continentur Dania, Noruegia, Suecia, & Sarmatiam quæ Polonia regnum cum magna parte Moschouicæ ditionis complectitur. Altera pars huius Tomi Australi parti dicabitur, atque exponet magnum Hungariæ regnum, seu regiones Istro flumini prætentas, Græciam, & Italiam.

Tertium denique Corpus tres reliquias orbis partes, Asiam, Africam, Americam tribus partibus breuiter attinget; quoniam earum accuratior cognitio minùs est nobis necessaria.

Cæterum de singulis illis maioribus portionibus ita dicam, ut antiquam Geographiam semper cum recentiore componam, vetus locorum nomenclatura nouam perpetuò coniunctam habeat. Neque verò more Ptolemæi, & aliorum Geographorum vocabula tantùm in ordinem digeram: sed præmittam semper aliqua, quæ spectent ad historiam Geographicam, ut aliqua subsequentur, vnde Philosophia, & Philologia illustrari queant. Tu (lector) boni, æquique nostrum laborem consule, ex quo vel fructum colliges, vel tibi placendi voluntatem.